iette. uobis hereditas acquiritur perinde ac si uos
ipsi heredes essetis instituti. et conuenienter scilicet et le-
gatum per eos uobis acquiritur. Non solum autem reuera
proprietas per eos quos in potestate habetis
acquiritur uobis sed etiam possessio. Cuiuscumque
enim rei possessionem adepti fuerint, id uos pos-
sidere uidemini. Unde per eos etiam usucapio
uel longi temporis possessio uobis accedit.

De his autem seruis in quibus tantum usumfructum
habetis ita placuit: ut quicquid ex re uestra uel ex ope-
ribus suis acquirunt, id uobis adiciatur. Quod
uero extra eas causas persecuti sunt, id ad dominum pro-
prietatis pertineat. Itaque si is seruus heres institutus
sit, legatumue quid ei aut donatum fuerit, non
usufructuario, sed domino proprietatis acquiritur.
Idem placet et de eo qui a uobis bona fide possi-
detur, siue is liber sit, siue seruus alienus. Quod e-
nim placuit de usufructuario, idem placuit
et de bone fidei possessore. Itaque quod extra duas istas
causas acquiritur, id uel ad ipsum pertinet si
liber est, uel ad dominum si seruus est.

Sed bone
fidei possessor cum usu ceperit seruum, quia eo
modo dominus fit, ex omnibus causis per eum sibi ac-
quirere potest. fructuarius uero usucapere
non potest. primum quia non possidet, sed habet ius
utendi fruendi, deinde quia scit seruum a-
lienum esse.

Non solum autem proprietas per
eos seruos in quibus usumfructum habetis uel
quos bona fide possidetis, uel per liberam personam
que bona fide uobis seruit, acquiritur uobis
sed etiam possessio. Loquimur autem in ut-
riusque persona secundum difinitionem quam proxi-
me exposuimus, id est si quam possessionem ex
re uestra uel ex operibus suis adepti fuerint. Ex his
itaque apparet per liberos homines quos neque
iuri uestro subiectos habetis neque bona fide pos

License: public_domain – Leuven, KU Leuven Bibliotheken Bijzondere Collecties, Ms. 1281, fol. [1]v – Justinianus, <i>Institutiones</i>, with gloss (https://fragmentarium.ms/view/page/F-hcn3/7298/58893)